



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 40. Ludovici Molinæ Societatis Theologi obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

§. XL.

Sæcul.XVI.

A. C. 1600.

*Ludovici Molinæ Societatis Theologi* obitus.

Varii quidem Scriptores, qui vel in eloquentia, vel arte poetica calamos suos exercuerunt, hoc anno fati functi recensentur, eorum tamen vitam describere, nostri non est instituti: Scriptoribus tamen ecclesiasticis annumerari meretur Ludovicus Molina natione Hispanus, patria Conchensis, qui humanioribus literis eruditus anno ætatis suæ decimo octavo, Christi autem millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio die decima Augusti inter Societatis Clericos adoptatus est, atque apud suos tantum in Philosophicis æque, ac Theologicis disciplinis profectum fecerat, ut in Eborensi Lusitanix Regni Academia per plures annos Theologiam publice traderet, ubi simul religiosam pietatem cum profunda eruditione conjungens, quæ lingua docuit, opere explevit: tandem vero die duodecima Octobris hoc anno Madriti animam Deo reddidit. Scripsit is tomos sex *de justitia, & jure*, necnon Commentarios in primam partem Divi Thomæ duobus tomis comprehensos, qui anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio Conchæ, & postea alibi iterato

*Liv. Meyer  
Hist. Con.  
tom. 1. p. 252.  
Alegamb.  
Bibl. Script.  
Soc. litt.  
Iselin. Lexic.  
Thu. 1. 131.  
p. 1040.*

R r 2

prælo



Sæcul. XVI.  
A.C. 1600.

prælo excusi prodire: ceteris tamen  
ejus lucubrationibus magis cognitus est  
ejus liber *de concordia gratiæ, & liberi  
arbitrii* unacum appendice ad eundem li-  
brum, ob quem tamen Author, cum  
plus homini, quam Deo tribuere vide-  
retur, a pluribus passim Theologis, præ-  
sertim vero a Dominico Bannes primo  
Salmanticensis Facultatis Theolo-  
gicæ Doctore, acriter impugnabatur,  
cumque initio Pater Antonius Padua  
Societatis Theologus, postea Franciscus  
Suarezus, ac demum omnes Jesuitæ  
Molinæ doctrinam pro aris, & focis tue-  
rentur, communis, & publica inter u-  
triusque Scholæ Doctores, eorumque  
fautores oriebatur contentio, quæ sa-  
mosis congregationibus, crebrisque con-  
sultationibus sub Clemente VIII. & Pau-  
lo V. habitis jam antea ansam dederat,  
quin tamen hæc controversia aut inter-  
minata damnationis sententia, aut im-  
posito utrinque silentio extingui possit,  
adeo, ut non sine maximo Ecclesiæ da-  
mno propagata hodieum cernatur, hu-  
jus mali culpam mutua accusatione Fra-  
tribus Prædicatoribus in Jesuitas, his  
vero in illos rejicientibus, quamvis o-  
mnino certum sit, quod tunc, si adversus  
avitam de gratia doctrinam nova non  
fuisset adinventata opinio, nunquam no-  
va, & funesta hæc controversia inter  
Doctores



Doctores veteris sententiæ optime gnaros fuisset suscitata, quam nunquam ab initio fuisse motam omnes usque ad hanc diem summi Pontifices, probique, ac docti Viri exoptant.

Sæcul.XVI.  
A.C.1600.

§. XLI.

*Davidis Chytræi mors.*

Inter Scriptores secta Lutheranos, qui hoc anno fati cessere, celebrior est David Chytræus, quem quidam patria Wirtembergicum, ac Braenheikemæ Wirtembergensis Principatus oppido, alii vero die vigesima sexta Februarii anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo trigesimo Ingelsingæ in Suevia natum asserunt. Hic a Matthæo Kochhafen Patre suo ad literarum studia tam sedulo incitabatur, ut nono ætatis suæ anno ad Tubingensem Academiam missus ibidem prima laurea, ac demum quindecim annos natus Magisterii honoribus decoraretur: postea anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quinto Wirtembergam, inde Heidelbergam, & Tubingam profectus, ac rursus Wirtembergam reversus tertio post anno astronomicis disciplinis operam navare cæperat, cum tamen sciendi ardorem domesticis literarum exercitationibus satiare haud posset, anno post Christum natum millesimo quin-

*Iselin. v. David. Weism. to. 2. Hist. Eccles. Sæc. XVI. p. 129. Melch. Adam. vit. Theol. Germ. p. 687. Thuan. Hist. l. 126.*

R r 3 gen